



Philos. S. 33.

8
DISSERTATIO PHILOSOPHICO - THEOLOGICA

DE

AETERNITATE
DEI

OMNEM SVCCESIONEM
EXCLVDENTE

QVAM

ADIVVANTE AETERNO DEO
PRAESIDE

IAC. WILH. FEVERLINO
D. P. P.

IN ORDINE CIRCVLARI

D. III. MARTII A. MDCCCXXXIII.

DEFENDET

CAROLVS LVDOV. CNOPFFIVS
HERSBRVCCO-NORICVS.

ALTORFII

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESI, ACAD. TYPOGR.

THE UNIVERSITY OF TORONTO

THE UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY
130 St. George Street
Toronto, Ontario
M5S 1A5
Canada



A. Ω.

PRÆFATIO.



N de ratione Aeternitatis Dei sit successio? non trita minus quam intricata est controuersia. Etenim Theologi Nostri et Reformati non tantum contra Socinianos et Contr. Vorstium, sed etiam contra Remonstrantes defendere huc usque debebant aeternitatem Dei successionis expertem. LIMBOR-

CHIVS praesertim negocium facessabat, non quidem quod Antithesin amplexus esset, sed quod inexplicabiles utriusque sententiae difficultates ἐποχῆν imperare perhiberet. Obseruauit omnes hasce difficultates feliciter superari posse, modo 1) ex Ontologia ostendatur, non omnem rerum a Deo conditarum durationem consistere in successione; successionem, quae in motibus solaribus ceu mensura durationis est, perperam transferri ad res durantes ipsas, adeoque male confundi correlatum alterum cum altero, mensuram durationis cum duratione ipsa, ideas relatiuas cum

A 2

abso-

*absolutis ; ex quo prono alueo sequitur, aeternitatem Dei
 multo minus esse successiuam, cum ne quidem res ab ipso
 conditae omnes successiuam duratione durent : 2) definitio
 Boethiana aeternitatis curatius euoluatur, ut constet, in
 quantum defendenda eadem sit, in quantum uero dese-
 renda? Ipse quidem ADR. CATTENBURGH Erudi-
 tissimus h. t. Remonstrantium Theologus in Spicilegio Theo-
 logiae Christianae Limborchii lib. II. cap. 4. cum §. 9. mo-
 nuisset, quaestionem de natura aeternitatis in abstracto
 consideratae ad Metaphysicam esse ablegandam, et §.
 10. egregie docuisset, successionem in aeternitate relati-
 uum quid esse, et respectum habens ad res extra Deum;
 successionem momentorum temporis non esse confun-
 dendam cum successione particularum in rebus, in o-
 mni duratione distinguendam esse successionem et con-
 tinuationem, §. 12. seqq. omnem litem componere et
 sententiarum discrimen tollere conatus est, et in Boe-
 thiana et in opposita doctrina quaedam expungendo. Ve-
 rum non pauca supersunt his adaenda, et inprimis doctri-
 nae hic occurrentes Metaphysicae ex originibus suis dedu-
 ci merentur; operae igitur precium uidebatur, peculiari
 hac Dissertatione argumentum hoc ita pertractare, ut Se-
 ctione I. aeternitatis diuinae notio ex Metaphysicis solici-
 te explicetur. Sectione autem II. doctrina nostrorum
 Theologorum, quae ex parte tantum Boethiana est, a
 difficultatibus et objectionibus Limborchii aliorumque li-
 beretur et defendatur. Aeternum Numen, quod supplex
 precor, dirigat mentem calamumque in omnem Veri-
 tatem, et aeternam Sanctissimi Nominis
 sui Gloriam!*

SECTIO

SECTIO I. METAPHYSICA.

§. I.

Aeternitatis idea arctissime connexa est cum idea exist- ^{Aeternitas} stentiae ; aeternum enim dicitur, quicquid ita exi- ^{pertinet ad} stit, ut nunquam coeperit existere nunquam desitu- ^{existenti-} rum sit. Sunt quidem Celeberrimi Philosophi, qui ^{am.} essentiis quarumcunque rerum, quas ab existentia cogitationibus seiungere conantur, aeternitatem tribuunt ; uerum illi, cum ab intellectu diuino rerum essentias petant, haud obscuris indiciis produnt, se ideas diuinas de rerum essentiis, quae aequae ac Deus ipse aeternae sunt, et aeternum existunt, in mente habere, uerbis autem objecta diuini intellectus producere, iisdemque metonymia aliqua, in Philosophis minime laudanda, aeternitatem adscribere. CATTENBURGHIVS in *Spicilegio* p. 89. de ueritatibus aeternis s. Axiomatibus idem obseruat, *debuisse in Subiecto aliquo Spiritu existere, quod, quin aeternum sit, nullo modo ambigendum.* Adhaec aeternitas inter species durationis refertur ; duratio autem est continuata existentia, ab existentia igitur diuelli nequit aeternitas. Ergo existentiae ideam ab originibus suis deducemus, a genere ad species deinde progressuri.

§. II. *Existit Luna, quam nunc uideo falcata, existit praesens mea cogitatio de aeternitate Dei.* Duo haec exempla, ad- ^{Existentiae} ^{idea evol-} ^{uitur.} modum diuersa, quorum alterum ad experientiam externam sensuum pertinet, alterum internae est experientiae, nunc comparabimus inter se, ut sepositis iis, in quibus differunt, mente id tantum retineamus, in quo conueniunt, hoc est, abstrahemus abstractione, quae dicitur uniuersalis, et ceu residuum aliquod obtinebimus ideam existentis uel existentiae. Uniuersalissima est haec idea, Deo et rebus ab ipso conditis, Substantiis et Modis applicanda. Verbis autem exprimi, h. e. definiri nequit ; saltem frustra hucusque conati sunt Philo-
 A 3 sophi

sophi definire existentiam per *positionem rei extra suas causas, uel extra nihil, uel extra statum purae possibilitatis*, quibus uerbis indicant, quid non sit existentia, non autem, quid sit, aliosque errores committunt, de quibus vid. THOM. GOVEANI *Logica Elenctica* p. 148. et B. ROETENBECCII *Logica Vetus et Nova* Q. 250. Neque tamen uanus et sensu carens sonus est existentia; bene enim omnes intelligimus, quid significant uerba, quando Deus existere, mons aureus non existere dicitur. Praeterea conformis est haec idea rebus existentibus, ab iis enim sola abstractione interueniente originem habet, et eo ipso est uera; distinctissima etiam est ab aliis quibuscunque ideis, et quia simplicissima, facile etiam clarissima. Graecorum *ὄν* et *εἶς* (si uox haec latius accipiatur, in strictiori enim sensu pro sola substantia non incongrue accipitur) non admittunt alium sensum aliamue ideam; Scholastici autem entis uocabulum adhibere coeperunt etiam de iis, quae non existunt, sed existere et cogitari possunt. Factum hinc est, ut aliqui ens ita definituri, ut Graeco *ὄν* responderet, dixerint, esse id, *quod habet essentiam et existentiam*, quae uerba, quamvis sint paucissima, plures una continent *ταυτολογίας*, abstractum a concreto nimis segregant, et uanis uocibus atque Logomachiis ansam praebent.

Origo
ideae aeternitatis.

§. III. Non-entis nulla est peculiaris idea; si uero quidpiam e.g. *montem aureum, Centaurum, Socratem aliumque hominem mortuum &c.* non existere dicimus, ideam existentiae de tali Subjecto negamus. Experientia nimirum docet existentiam modorum aliquorum e.g. *metus alicuius in me, motus localis in globo aliquo extra me &c.* et finem habere, et initium habuisse, h. e. nunc non existere, aliquando non extitisse. Per oppositionem hinc facile nanciscimur ideas existentiae sine principio et sine fine h. e. aeternitatis, et existentiae cum principio et sine fine, h. e. aevi; haec tamen ideae, antequam ratiocinio uel

uel

uel revelatione discamus, dari res aeternas et aeuiternas, non sunt habendae loco idearum in rebus fundatarum, siquidem nos tantum incitant ad inquirendum, an talia dentur existantia. Dixi, non nisi modos, qui coeperint et desierint existere, per experientiam nobis innotescere: quamuis enim uideantur etiam Substantiae e. g. *rosa*, oriri et interire, accuratior tamen Physica, experimentis et certis ratiociniis innixa (quae accuratiori Metaphysicae fundamentum haud ultimum praebet) docet, non Substantias ipsas, sed Substantiarum minimarum combinationes initium et finem habere in generatione et corruptione. Experientia igitur id tantum discimus, modos, et relationes, quae in modis fundantur, initium habere et finem.

§. IV. Ratiociniis demum discimus Substantias corporeas ^{Quae non sint aeterna?} atque mentes humanas aliquando non fuisse, sed coepisse, Deum uero nec coepisse nec desitutum esse h. e. esse aeternum; an uero substantiae corporeae aliquando sint omnino cessaturae, Philosophus nescit, mentem mortuo homine et corpore superstitem esse ex Iustitia diuina demonstrat; sine fine eandem extitutam esse, sola Scriptura S. certos nos reddit. Substantias ipsas corporeas h. e. materiam Mundi productas aliquando fuisse, ex contingentia et fine, ni fallor, demonstraui in *Diss. de Axiomate: Ex nihilo nihil fit §. XVI.* Eadem haec applicari possunt mentibus humanis Quicquid autem producitur, illud antea non extitit; atque haec Propositio ita est necessaria, ut contrarium sit impossibile, et contradicat sibi, scilicet, *aliquid iam esse, et tamen nunc demum fieri*: idem videntur Aristotelici animadvertisse, quando Priuationem inter principia rerum naturalium retulerunt. Ex his colligo, quicquid productum uel effectus est, non posse esse aeternum. Non quidem ignoro, magnos esse Philosophos atque Theologos, qui a me hic dissentiunt, quamuis non pau-

pauciores Viri Eruditissimi mihi hoc in dogmate facem praetulerint vid. Catalogus utrorumque in Viri Clariss. CHRISTIAN. HAGMAIERI *Diss. de Aeternitate Tubing. a. 1719. p. 5.* neque me latet Eruditissimo BVLFFINGERO in *Dilucidationibus de Deo, Anima, Mundo Cap. IV.* utriusque sententiae difficultates ἐποχὴν imposuisse, de quibus fortassis alio tempore ex instituto agam conf. interim DION. PETAVII *Dogmata Theol. Tom. I. p. 143. sqq.* Hac uice ὡς ἐν παροδῶν illud tantum addo, successionem aeternam, principio omni carentem, quae Mundo a quibusdam dissentientibus tribuitur, aequae impossibilem esse ac progressum causarum in infinitum, cuius impossibilitas haud postremum est inter solida contra Atheismum existentiae diuinae fulcra; quamvis non sit necessarium, rebus a Deo conditis quibuscunque existentiam vel durationem successivam tribuere, quod §. X. indicabit.

Deum esse
aeternum

§. V. Dei aeternitatem praecipue demonstramus ex necessaria ejusdem existentia. Nimirum, postquam solidis argumentis euictum est, Deum h. e. independentem adeoque perfectissimum huius Universi autorem existere, noua comparatio Subiecti *Deus* cum praedicato *existit* docet, hoc de illo ita *necessario* esse affirmandum, ut contrarium, Deum non existere, non extitisse, non extitutum esse, sit impossibile, contradictorium, absurdum. Necessitas haec est igitur relatio uel nexus inter Subiectum et praedicatum, qui *modus* a Logicis in Propositionibus Modalibus appellatur. Paradoxon id non esse, uel inde patet, quod necessitatem essentiarum probaturi ad id prouocant, quod e.g. hominem non esse hominem, A non esse A. sit absurdum; haud obscure innuentes oppositas propositiones; *hominem esse hominem, A esse A*, et necessarium inter Subiecta et Praedicata nexum: de quibus tamen Propositionibus identicis vel uno uerbo obseruamus, non esse Propositiones uid. B. KOCHIVS in *Annalibus Academiae Iulianae Semestri*

stri

stri III. p. 194. et conf. si placet, *Observationum mearum Ecclesiarum ex controversiis de Metaphysica Leibnitio-Wolfsiana Specimen I. §. XIII. et Diss. mea de Methodo Mathematica §. XIII.* unde patet, cur necessitatis essentialium nullam rationem habeant multi Philosophi. Occurrunt praeter hoc alia etiam non contemnenda divinae aeternitatis argumenta apud THOMAM AQUINATEM, BONAVENTURAM, SVAREZIVM aliosque Scholasticos e. g. ex independentia Dei, de quibus vid. VDALRICI HEINSSII *Theologia Naturalis Acroamatica Jenae a. 1685. in 4. edita p. 125.*

§. VI. De idea aeternitatis id etiam est annotandum, videri eam primo intuitu negativam, h. e. quando Deum dicimus aeternum, negari initium et finem, quos tamen terminos in aliis rebus observavimus; unde etiam aeternitas nunc infinita, nunc interminabilis existentia appellatur: verum penitus haec opposita contemplantibus manifestum est, initium et finem non nisi negationes existentiae esse, unde sequitur, negationem negationis esse quoad sensum et rem ipsam affirmationem, et positionem existentiae perpetuae h. e. perfectissimae. Mirum igitur non est, Mentem nostram, cuius perfectiones non possunt non esse limitatae, existentiae perfectissimae, quatenus ea ab aliis existentibus omnibus distincta est, non nisi negativam habere ideam ex oppositione petitam, quamvis, quatenus ea cum aliis existentibus convenit, h. e. existentiam in universum satis positive intelligamus.

Idea aeternitatis Dei negativa.

§. VII. Penitus ideam aeternitatis evoluturis necessarium est, in Durationis ideam inquirere. Haec per continuationem existentiae, vel per permanentiam in existendo describi solet: tota autem consistit in relatione unius existentis ad alia. Si brevissimam durationem, quam momentaneam dicimus, contemplamur, referimus rei alicuius existentiam e. g. fulguris ad ictum oculi, vel ad motum penduli, vel ad motum indicis

Duratio omnis est relatio.

B

in

in horologio, quod Solis motum uel uerum uel apparentem pro mensura habet. In duratione longiore e. g. annua, ubi existentia rei alicuius ad Solis Periodum refertur, relatio magis adhuc est manifesta. LOCKIUS *de Intellectu hum. lib. II. cap. 14. §. 3.* bene observavit, quando ideas in mente nostra sibi inuicem succedentes comparamus cum mente nostra, quae cogitat, atque permanet h. e. existit, cum quaedam illarum existere desierint, oriri ideam durationis, et quidem ea origine, quam ipse reflexionem, alii conscientiam, ego experientiam Mentis internam appellare soleo. Paulo obscurius haec tradita sunt a Lockio, qui uero in sequentibus clarius indicat illam relationem, quam sensus docent in duratione rerum extra nos positarum cum Solis motionibus comparata.

Lockius
notatur.

§. VIII. Nimirum LOCKIUS in capite citato nimis inhaeret ideis nostris sibi inuicem succedentibus, siquidem 1) *distanciam inter partes successionis istius idearum, aut inter apparentias duarum idearum illud ipsum esse arbitratur, quod durationem uocamus*, cum magis oppositum huius successionis idearum, scilicet mentis continuata existentia durationis nomine appellari soleat, ne quid dicam de allegorico distantiae nomine ideis minus accurate applicato. 2) sine animaduersione successionis idearum impossibile iudicat, ut rerum, quotquot in mundo fiunt, durationis notionem aliquam habeamus, quod inde probare nititur, *quod in somno sine somnio, ubi nulla idearum successio in mente est, inter momentum, quo cogitare desimus, atque illud, quo rursus cogitare incipimus, nullum intercedere intervallum videtur, imo somnus durationis partes adunat.* Hic Lockius confundere videtur ideam durationis cum applicatione ejusdem, et quidem tali, qua per experientiam statim durante somno cognoscimus, somnum hunc aliquandiu durare: haec applicatio quamuis absit, expergefacti tamen ex die, qui iterum illuxit, uel ex horologio facile discimus, somnum nostrum
ali-

aliquot durasse horas. Simillimam confusionem fecit idem acutissimus alias Philosophus in difficillimo *capite de Idenditate*, quod est libri II. cap. 27. §. 20. seqq. ubi idenditatem personalem conscientiae ita alligat, ut, si quis reuera sibi non sit conscius alicuius actionis, quam tamen idem homo egit, non unam eandemque personam, sed duas personas esse fingat. Adhaec sine omni idearum successione durationis ideam in nobis oriri posse, vel hoc exemplum docere potest. Astronomus aliquis observandae Eclipsi annulari ita inhaerere potest, ut ab initio maximae et ferme plenariae obscurationis ad finem eiusdem neque oculos neque animum ab hoc obiecto reuocet, atque sic unica hac idea occupatus sit, nihilo tamen minus animadvertet, & durasse aliquandiu hanc Eclipsin ferme totalem, et sicubi in horologio obseruauit horam eiusque minuta et secunda circa initium Eclipsios, ut eiusdem horologii determinate cognoscat, quot minuta, quot secunda eadem durauerit.

§. IX. Omnis ergo relatio existentis alicuius ad rem aliam durationem suggerere potest. Non morabor nunc relationem ad nostram uel complacentiam uel displicentiam, quae ea, quae displicent, facillime nimis diu, quae placent, nimis breuiter durare dicuntur. Paucissimis etiam annotabo, duarum rerum existentias ita inter se comparari, ut duratio earum uel aequalis uel inaequalis deprehendatur; ita duobus hominibus eodem die natis, et eodem die iterum mortuis aequalis tribuitur duratio; Si uero alter alterum superuixerit, ille diutius durare dicitur h. e. existit, cum alter non amplius existat. Id uero praecipue obseruandum est, plerarumque rerum durationem ad Solis motus uel ueros uel apparentes, ceu ad mensuram aliquam referri atque exigi, ita ut aliqua diem naturalem h. e. quamdiu Sol per horizontem nostrum motus lumen in nos sparsit, alia diem artificialem, h. e. diem natura-

Durationis
correlata
et mensura.

lem et sequentem noctem, alia annum h. e. 365. dies artificiales, quibus Sol Periodum suam quatuor illis partibus uere, aestate, autumno, hieme constantem, absoluit, alia horam h. e. uigesimam quartam partem diei artificialis, alia sexagesimam partem horae h. e. minutum, alia sexagesimam partem minuti h. e. secundum durasse dicantur. Horologia siue index ipsorum moueatur a ponderibus uel elatere, siue indicis umbra cum Sole moueatur, siue effluente arena uel aqua horas indicent, ad Solis motum ceu normam primariam exiguntur, adeoque nonnisi intermediae et secundariae normae sunt; ut alias eiusmodi normas silentio nunc praeteream. Ad hosce Solis motus si durationem rei alicuius comparauerimus, et cum minutioribus etiam motus illius partibus contulerimus, satis exacte et determinate eandem scire nobis uidemur. Motus iste Solaris non incommode uocabitur mensura eminentis; Sicut enim in commerciis numus appellatur precium eminentis, quod duae res permutandae cum eo comparantur, ut uel aequales, uel inaequales aestimari possint; ita si duarum rerum e. g. *hominum uel aequalem uel inaequalem durationem* cognoscere uolumus, ad annos, dies &c. h. e. ad motum solarem utriusque existentiam referimus, atque e. g. *utrumque septuaginta annos uixisse* h. e. Solem septuaginta Periodos absoluisse, dum uterque uiuebat, dicimus.

Successio
mensurae
non est in
durante,

§. X. In motu Solari est perpetua successio, uti in omni motu: hic reperitur prius et posterius. Sol prius unam uigesimam quartam circuli sui diurni permeat, quam ad alteram perueniat; prius per primum minutum transit, quam per secundum. Caue autem, ne successionem hanc, haec momenta priora et posteriora in rebus quibuscunque quaeras, quae tam diu durasse dicuntur. e. g. *si gemma aliqua, cui imago Augusti, cum uiueret insculpta est, nunc altra 1700. annos durasse dicitur, quis in gemma ideo successionem annorum dierum,*

rum,

rum, horarum, minutorum, secundorum finger? Duratio Substantiarum, quamuis in his Modi, actiones, passiones, sibi inuicem succedant, uti u. g. in Mente cogitationes, uolitiones, habitus, omni tamen caret successione: siquidem Substantia sub omnibus his mutationibus permanet, et existentiam suam continuat. Imo quisque modus e. g. *cogitatio in unum aliquod obiectum defixa*, si minuta uel secunda aliquot durat, hac tamen successione, quae in minutis et secundis est, caret, et alia etiam quacunque successione carere potest, quamuis nonnunquam cogitatio eiusdem rei ab una huius parte ad alteram progrediatur. Omnia uero alia uidentur esse statuenda de Substantiis, quae successiuae appellantur, inter quas imprimis uegetabilia et corpora humana et animalia locum habent, ubi partibus nonnullis prioribus nouae per nutritionem subinde succedunt: hic enim ipsa duratio uidetur consistere in perpetua successione: Verum accurate locuturus dicet Substantiam eiusmodi compositam tantum durare atque eandem permanere quoad partes illas e. g. solidiores, quae uicissitudini huic non sunt obnoxiae: illarum uero partium quae abeunt, aliisque succedentibus locum faciunt, compagem non durare fatebitur. Hic partes proprie sic dictae succedunt aliis partibus; ast in motu, in quo, etiam minimo, est progressio *a termino a quo per intermedium ad terminum ad quem*, in cogitationibus plerisque, in duratione et conseruatione generis humani similibusque exemplis successio quidem est, partes autem proprie dictae locum non habent.

§. XI. Ex his luculentissime patet, aeternitatem Dei ^{Duratio Dei caret successione,} rere omni successione, non dari in ipsa prius et posterius. Non sequitur haec successio ex idea durationis uel continuatione, rae existentiae, id quod exempla substantiarum permanentium a Deo conditarum *scilicet* antec. docent, ita ut carentia haec successio- nis ne quidem proprium sit aeternitatis, sed iis etiam

B 3

rebus

rebus competat, quae initium et finem habent uel habere possunt. Omnis autem successio de Deo negari debet, quia nulla in ipso sunt accidentia, quia mutari nequit h. e. enti perfectissimo nulla uel perfectio uel imperfectio accedere uel decedere potest, quia attributa ipsius et decreta sunt aeterna, quia sine omni compositione sine omnibus partibus est ens simplicissimum. Iam uero si relatio instituatur inter existentiam Dei aeternam et existentiam Mundi ab ipso conditi, Deus Mundo coexistere, atque cum Mundo ultra 5000. annos durasse dicetur non incommode, quod contra PETRI POIRET *Cogitationes rationales de Deo, Anima, et Malo* defendit B. ZACH. GRAPVVS in *Theologia recens controuersa* Tom. I. p. 87. sq. Haec tamen coexistentia in Dei aeternitate nullam inuoluit successionem, quae unice in mensura correlati h. e. in motibus Solaribus est quaerenda, et ne quidem in correlato ipso Mundo, si solas substantias eundem componentes harumque existentiam respicias. Consideremus animam Adami, quae ultra 5000. annos iam existit, huic quando Deus coexistisse, adeoque ultra 5000. annos durasse dicitur, neque in Deo neque in anima Adami successio ponitur, sed unice in motibus solaribus, qui mensura sunt durationis animae Adami. Mensura autem aeternitatis diuinae haberi nequit Periodus Solaris, etiamsi fictione aliqua quasi retro feratur, Deus enim omni caret principio, omni fine: neque ea est mentis nostrae acies, ut possit addendo annos annis, secula seculis in infinitum procedere, atque ita longitudinem Periodi Solaris durationi applicare, quae ante solem extitit, quae LOCKII est sententia de Int. H. lib. II. cap. 14. §. 28. cui praefenda est IO. FAULHABERI Mathematici Vlmensis pia meditatio de aeternitate in *Fortgesetzter Sammlung von alten und neuen Theologischen Sachen* a. 1716. p. 216. sqq. ubi propositis maximis numeris tamen concludit, nullam esse eorundem pro-

por-

portionem ad aeternitatem, quae omni termino et mensura caret, cum omnis numerus terminos atque mensuram admittat.

§. XII. Sub finem harum observationum Metaphysica Dubia solurum duo paucis recensebo atque refutabo dubia, quae mihi ^{uuntur.} in mentem uenerunt. Videtur nimirum quaeuis entium a Deo conditorum duratio ex momentis realiter distinctis componi, quod inde colligi potest, quia non necessarium, sed contingens est, ut quod nunc existit, diutius existat, et possibile est, ut quod hoc momento existit, altero subsequente non existat; ea autem realiter distincta existimantur, quorum alterum esse potest sine altero. Nunc uero, quamuis in Deo existentia et duratio sit necessaria, uidetur tamen distinctio momentorum sibi succedentium, si non realis, saltem in ratione nostra locum obtinere, ut continuationem habeamus necessariam. Dubium hoc ita resolvo: momenta illa succedentia non in rebus durantibus, sed in mensura durationis sunt quaerenda: res quaeuis creata primo momento aequae contingentem habet existentiam, ac in secundo et tertio: reale discrimen inter existentiam primi et existentiam sequentium momentorum nullum uideo, ubi res eadem manet; multo minus ergo in aeternitate Dei discrimen reale momentorum succedentium locum habet, cum potius existentiam Dei aeternam simplicissime sine omni possibilitate principii et finis cogitare et possimus et debeamus. Nouum dubium suppeditat differentia inter aeternum Dei decretum de creando Mundo, et ipsam huius creationem, quam cum aeternam esse negauerim, sequi uidetur, creationem in Deo posteriorem esse decreto creandi, adeoque in Deo esse prius et posterius. Respondeo: In Deo non est reale discrimen inter decretum creandi Mundum et creationem ipsam; huius autem cum correlatum sit Mundus productus, hic quidem

dem

dem posterior est Deo ejusque decretis, quia Mundus initium habet, Deus autem cum decretis suis sine omni initio aeternus est; Deus se ipso neque prior neque posterior est, quod uero statuendum esset, si actus creationis, prout in Deo consideratur, quia Deo realiter non differt, atque ita Deus ipse est, posterior diceretur decreto diuino, quod etiam Deus ipse est. Adhaec aeterni decreti diuini tanta est uis, ut mundi, qui ante non fuerat, productio ad id, ceu causam sufficientissimam referri possit, imo debeat.

Tempus
uox ambi-
gua.

§. XIII. A uocabulo temporis omnino hucusque abstini, quoniam nimis est ambiguum, atque ita plurimis Logomachiis occasionem dedit. Aliis tempus est solum praesens momentum, aliis ordo successiuorum, aliis duratio cum principio et fine etiam sine successione, aliis tempus est uel internum uel externum, aliis, quicquid ad quaestiones quando? et quamdiu? responderi solet, tempus est, ut ipsam etiam aeternitatem sub hoc nomine comprehendant, quae postrema et latissima significatio uel ideo non omnino reicienda est, quod 2. Tim. I, 9. et Tit. I, 2. χρόνοι αἰώνιοι leguntur.

SECTIO II. THEOLOGICA.

§. I.

Aeternitas
Dei pro-
batur e S.S.
I.

DEum esse aeternum uariis Scripturae S. dictis probatur, ut ad classes argumenta reuocari possint. I. Deus dicitur aeternus Gen. XXI, 33. יהוה אל עולם *Iehouah Deus aeternitatis*, uti B. SEB. SCHMIDIVS accurate transtulit (siquidem עולם non rem durantem, sed durationem denotat, quod prolixè docet IAC. GVSSETIVS in *Comm. Lingv. Ebr.* p. 609. sqq. quamuis Latine id exprimi debeat *Deus aeternus*) Ier. X, 10. ubi Iehouah appellatur מלך עולם Rex aeternitatis uel aeternus. Ies. XL, 28. אלהי עולם Deus aeternitatis. Rom. XVI, 26. Θεὸς αἰώνιος 1. Tim. I, 17. βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἀφθαρτος. Ne-
gari

gari tamen nequit, huius argumenti uim ferme omnem cadere, si uoces **עולם** et *aíwvros* aliaeque aeternitatem denotantes ita existimandae sunt ambiguae, ut non tantum durationem sine principio et fine, (quam aeternitatem absolutam cum GUSSETIO nonnulli appellant) sed minorem etiam durationem cum principio et fine, et quidem frequentius quam priorem (quod Concordantiae docent) designet, quam ambiguitatem Patroni aeterni, ut uocant, Euangelii sibi admodum proficuum ducunt: sed consulendus hic est GUSSETIVS, qui l. c. in primis p. 612. ostendit, sine ambiguitate **עולם** proprie denotare durationem sine principio et fine, cui significatui etiam notio Etymologica rei occultae unice fauet p. 614. improprie autem et tropice de duratione minori praedicari; conferri etiam merentur FRID. ADOLF. LAMPII eruditissimae dissertationes de aeternitate poenarum, quarum Cap. I. multa Scripturae S. loca, quibus aeternitas de duratione minore praedicata putatur, de aeternitate absoluta typice accipienda esse egregie demonstrat. Nos haec tantum hac uice obseruabimus, **עולם** si de Deo dicitur, frigidum, et ineptum epitheton fore, si de duratione minore, non autem de aeternitate absoluta intelligendum esset; et oppositionem durationis Mundi satis declarare, **עולם** denotare durationem sine principio et sine fine. Idem statuendum esse de aliarum linguarum uocabulis aeternitatem indicantibus. Gusssetius obseruauit l. c. p. 609.

§. II. A priore argumentorum classe parum differt Classis II. qua illa notantur dicta, quibus attributa Dei aeterna appellantur, ita Psalm. CIII, 17. *Gratias Iehovae super timentes eum*, **מעולם ועד עולם** ab aeternitate et in aeternitatem; Rom. I, 20. *διναμὴς αἰδίου* Deo tribuitur. III. Principium et finis existentiae diuinae negatur e. g. Iob. XXXVI, 26. *de Deo sublimi, quem non nouimus, dicitur* **מספר שניו ולא חקר** numeri anno-

K.

III.

C

anno-

annorum eius nulla est peruestigatio, quod Paraphrasis Io. CLERICI ita exprimit: *At tanta est Dei sublimitas, ut penitus a nobis intelligi nequeat; eaque duratio, ut initio et fine careat.* Huc etiam pertinet Hebr. VII, 3. μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. *neque principium dierum, neque uitae finem habens;* quae quidem uerba de typo Melchisedecho nonnisi quoad nostram determinatam notitiam, de antitypo autem Christo secundum diuinam naturam absolute et plene intelligenda sunt. IV. Inuicti etiam roboris sunt illa argumenta, quod Deus primus et ultimus audit Ies. XLI, 4. XLIV, 6. et Apoc. I, 8. τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ἐρχόμενος; quamuis enim Io. CRELLIVS Socinianus in lib. de Deo et eius attributis cap. 18. p. m. 123. et cum illo ADR. CATTENBURGH doctissimus Remonstrantium Theologus in Spicilegio Theologiae Christianae Limborchianae lib. II. cap. IV. §. 2. argumenta haec infirma esse existiment, obiectionibus tamen illorum facile satisfieri potest, ut probationi suum constet robur. Nimirum ultimum et primum non idem esse ac aeternum hinc colligit CRELLIVS, *quia Deus tum angelos bonos, tum homines pios in omnem aeternum perennitatem secum uult uiuere, adeoque respectu ipsorum ultimus dici nequit.* Hoc uero argumentum dixerim fallaciam compositionis et diuisionis: non enim ultimus tantum, sed primus etiam, et quidem iunctim primus et ultimus dicitur Deus: ipse locus Ies. XLI, 4. innuit, praeter Deum dari alias res a posteriori aeternum duraturas dicit enim Deum *cum ultimis* esse אֱתֵּי אַחֲרָיִם. Eo ipso autem, quod primus dicitur, negatur aliquid prius ipso esse, ponitur independentia eiusdem, adeoque aeternitas principio carens, negatur etiam aliquid ipsi coaeternum esse; quod uero non primus tantum sed ultimus uel cum ultimis appellatur, id carentiam principii et finis h. e. aeternitatem nulli alii rei competentem clarissime significat. uid. quae CAMP.

VIIRIN

VITRINGA in Comm. ad h. l. doctissime differit, ubi Xenophontis et Ciceronis sententias plane his consentientes inter alia producit, quibus addi potest THALES Ionicae Philosophiae auctor, qui teste Laertio l. 35. 36. Deum uocauit *πρεσβύτατον τῶν ὄντων. ἀγέννητον γάρ.* antiquissimum rerum, quia ingenitus, et τὸ θεῖον definiuit τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχον, μήτε τελευτήν. Plura aeternitatis diuinae argumenta uideri possunt in magni GERHARDI nostri Locis Theol. et Exegefi.

§. III. Ita satis ex S. literis probata aeternitate Dei, nunc ^{Descriptio aeternitatis e S. S.} etiam dispiciemus, quae cogitandi eandem ratio ab ipso Spiritu S. nobis suggeratur. Describi eam ceu existentiam sine principio et fine, maxime Classis III. argumentorum ostendit. Quaerentibus de successione, an Scriptura aeternitati eam tribuat, primum scrupulos aliquos iniiciunt illa loca, quibus dies et anni Deo adscribuntur u. g. Dan. VII. 9. et 22. ubi Deus *antiquus dierum* יְמֵי קְדָמָה Psal. CII. 28. ubi dicitur *annos Dei non consumtum iri* שְׁנוֹתֶיךָ לֹא יִשָּׂא: Ast nouimus ex Gen. I. 14. Solem demum pro determinandis diebus et annis a Deo datum esse, unde sequitur, in Deo qui ante Mundum ab aeterno existebat, dies et annos proprie sic dictos locum non habere; praeterea Iob. X, 3. propositio interrogatiua, *nunquid sicut dies hominis dies tui, an anni tui sicut dies uiri?* aliam plane esse durationem Dei quam hominum luculenter docet, unde sequitur ἀνθρώπων ἡμέρας dicta hic reperiri, quae θεοπροπῶς sunt explicanda. Nouum dubium suppeditare uidetur prius et posterius, quorum utrumque Deo tribuitur cum Apocal. I, 8. et saepius, ubi esse, fuisse, futurus esse dicitur, tum etiam in uocibus קָדָם et אַחֲרָיִם, quorum illa aeternitatis partem priorem, haec posteriorem denotat, vid. GVSSETIVS. Verum quis hic non animaduertit relationem aeternitatis diuinae ad hunc Mundum atque homines in eodem, quorum respectu aeternus Deus et est prior et posterior? ubi obseruandum

dum adhuc est, Mundum, si aliquando non in nihilum reducendus, sed tantum immutandus est, nonnisi quoad praesentem formam, et homines, quod post resurrectionem sine fine uicturi sunt, in hac uita considerari debere, si Deus ipsis posterior dicitur: aliter enim si considerentur, manifestum est, Deo aeternum coexisturos esse; ex quibus omnibus relatiua illarum phraseon indoles clarissime elucescit. De reliquo successionem priorum et posteriorum momentorum in Deo nullum habere locum, etiam inde cognoscitur, quod secundum Iac. I, 17. in ipso *non est transmutatio aut conuersionis umbra παραλλαγή, ἡ τροπῆς ἀποσκίασμα*, quod Psalm. CII, 28. coelo et terrae perituris opponatur Deus, qui semper idem futurus et permansurus sit **איה אלהי**, quod Ioh. VIII, 58. sanctissimus Seruator, ratione diuinitatis suae habita, dicit: *priusquam Abraham fieret, ego sum*, πρὶν Ἀβραάμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι, cum quibus uerbis Graeca translatio Psalm. XC, 2. egregie conspirat: *πρὶν τὰ ὄρη γεννηθῆναι, σὺ εἶ*, hic uero luculentissime docemur, in Dei aeternitate non esse discrimen praeteriti et futuri v. LAMPPI *Commentarius in Ioh.* uberrimus ad h. l. Tom. II. p. 513. sqq.

Boethiana
aeternitatis
Dei definitio.

§. IV. Quo planiora haec sunt atque facilia, eo plures difficultates causatur recepta admodum aeternitatis definitio BOETHIANA, quae Socinianis, Vorstio et Remonstrantibus plerisque praecipuus fuit offensionis lapis. Antequam ergo ad decisionem harum controuersiarum, inprimis a Remonstrantibus agitatarum accedamus, Boethii sententiam paulo plenius explicare et diiudicare oportet. ANICIVS MANLIUS TORQUATVS SEVERINVS BOETHIVS scriptor ineuntis Seculi VI. qui ab illustri genere, a diuino ingenio, a magna eruditione in Philosophia, Theologia, Oratoria et Poesi, a prudentia, fide, humanitate in summis officiis ciuilibus comprobatis, a zelo contra haereses Arianorum aliorumque, ab humilitate christi-

christi-

christiana, patientia et martyrio non immerito commenda-
 tur in *Diario litterario Parisiensi* (Journal des Sçavans) a. 1716.
 m. Mart. ubi recensetur GERVASII *Histoire de Boece*, qui uero
 dogmata Platonica, Aristotelica et Stoica non tantum inter se,
 sed etiam cum Theologia christiana, duplici Syncretismo con-
 ciliare studuit (de quo vid. V. Cl. IAC. BRUCKERI *kurze Fragen*
 aus der Philosophischen Historie Parte IV. p. 1394. sqq.) hic
 inquam BOETHIUS in aureo libello de Consolatione philoso-
 phica lib. V Prosa VI. hanc dedit aeternitatis diuinae defini-
 tionem: *Aeternitas est interminabilis uitae tota simul et*
perfecta possessio. Argumentum unicum, quo definitionem
 hanc probare conatur, in eo consistit, quod perpetuitatem,
 quam cum Aristotele et Platone attribuit Mundo, ab aeterni-
 tate, quae soli Deo competat, aliter discerni posse negabat.
 Ita uerba definitionem proxime sequentia se habent: *quod ex*
collatione temporalium clarius liquet. Nam quidquid uiuit in tem-
 pore, id praesens a praeteritis in futura procedit: nihilque est in
 tempore constitutum, quod totum uitae suae spatium pariter possit
 amplecti. Sed crastinum quidem nondum apprehendit: hesternum
 uero iam perdidit. In hodierna quoque uita non amplius uiuitis,
 quam in illo mobili transitorioque momento. Quod igitur temporis
 patitur conditionem, licet illud, sicut de mundo censuit Aristoteles,
 nec coeperit unquam esse, nec desinat, uitaeque eius cum temporis in-
 finitate tendatur, nondum tamen tale est, ut aeternum esse iure cre-
 datur. Non enim totum simul, infinitae licet uitae, spatium com-
 prehendit, atque complectitur: sed futura nondum transacta iam
 non habet. Quod igitur interminabilis uitae plenitudinem totam
 pariter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quidpiam absit,
 nec praeteriti fluxerit, id aeternum esse iure perhibetur: idque ne-
 cesse est, et sui compos praesens sibi semper assistere, et infinitatem
 mobilis temporis habere praesentem. Vnde non recte quidam, qui
 cum audiunt, uisum Platoni, mundum hunc nec habuisse initium
 C 3 tem-

temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coaeternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci uitam, quod mundo Plato tribuit: aliud interminabilis uitae totam pariter complexam esse praesentiam, quod diuinae mentis propriam esse manifestum est. Neque Deus conditis rebus antiquior uideri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturae. Posthaec, cum docuisset, qualemcunque praesentiam huius exigui uolucrisque momenti, manentis illius praesentiae quandam gestare imaginem, dissimilem autem in eo esse, quod, quoniam manere non potuit, infinitum temporis iter arripuit: eoque modo factum est, ut continuaret eundem uiam, cuius plenitudinem complecti non ualuit permanendo: ita concludit: Itaque si digna rebus nomina uelimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem aeternum, mundum uero dicamus esse perpetuum. Hoc ipsum uero de aeternitate Dei dogma uti a Boethio loco fundamenti praemissum est doctrinae de Scientia Dei, ita applicationem hoc modo instituit: *Est autem Deo semper aeternus, ac praesentarius status: scientia quoque eius, omnem temporis supergressa motionem, in suae manet simplicitate praesentiae, infinitaque praeteriti ac futuri spatia complectens, omnia, quasi iam gerantur, in sua simplici cognitione considerat.*

Observationes ad Boethium.

§. V. Ad uerba haec BOETHII pauca commentaturus, non disquiram nunc, an recte Platoni tribuerit doctrinam de aeterno mundo? de quo legi meretur Io. LVD. VIVES in Comm. ad Augustini de Ciuitate Dei libr. X. cap. 31. sed obseruabo 1) dum mundum sempiternum sine initio et fine fingit, cadere praecipuum characterem, quam Scriptura S. et Philosophia aeternitati diuinae tribuunt, nempe carentiam principii et finis: siquidem Scriptura S. aeternitatem Dei a parte anteriore describit per existentiam ante mundum ejusque fundamenta, ante terram, montes, fontes etc. Psalm. XC. 2. Prov. VIII, 22. Ioh. XVII, 5. Ephes. I, 4. et Philosophia sempiternitati

nitati

nitati Mundi ac infinitae successioni refragatur, quod Sect. I. §. 4. innuit. 2) Si uel maxime Mundus sempiternus adeoque Deo coaeternus esset statuendus, praeter negationem successioni alia maioris momenti discrimina occurrerent. Ita PETAVIUS l. c. p. 138. hoc praecipuum discrimen habet, quod licet creata quaedam res ex aeterno sit, non id habet ex sese, sed alterius ex arbitrio, quasi contingens et aduentitium. Quocirca uti Scripturae et Patres immortalitatem soli adscribunt Deo, tametsi pleraque alia nunquam interitura sciant, quod iste ipse finis expers status aliena ex uoluntate pendet, a quo interim extinguique possunt (ideo mortales absolute ab nonnullis angeli animaeque dicuntur) Sic quodcumque tandem erit illud, quod ex aeterno procreabit Deus, nequaquam aeternum optimo illo et absoluto iure censebitur, -- Deo hoc insitum ac singulare est, ut necessario sit, atque et ex aeterno fuerit, et non esse non possit. Doctissimus BULFFINGERVS in Dilucidationibus §. 194. haec et alia discrimina ita exprimit. *Esto mundus ab aeterno productus a Deo. Erit igitur aliquo sensu aeternus, sed dependenter, cum successione, contingens, destruibilis, sine uita.* Fatendum tamen est Boethium unum ex hisce discriminibus in definitione sua tetigisse, quando *interminabilem*, non tantum interminatam, uitae possessionem dixit, quamuis in explicatione et probatione suae definitionis discrimen hoc non urferit, et forte ex praedictio sectae Aristotelicae et Platonicae Mundo eiusque materiae perpetuitatem necessariam tribuerit. 3) Errauit Boethius, dum omnibus sine exceptione temporalibus successione adscripsit, confundens motum solis, mensuram durationis, cum intrinseca rerum durantium conditione; iam uero cum dentur inter res a Deo conditas entia permanentia, Boethius autem omnia temporalia sempiterna fingat, manifestum est, per successioni absentiam non satis feliciter distinxisse Deum a quibuscumque temporalibus. 4) Quoniam tamen

tamen

tamen mentionem fecit uitae cum Dei, tum etiam Mundi et hominum, et corporum uita in motu, Dei et Spirituum uita maxime in Scientia uel cognitione consistit; quoniam porro scientia in Deo sine omni successione est simultanea atque aeterna; fateri oportet, insigne esse discrimen inter uitam Dei, et inter uitam Mundi et Hominum, quae uel in Motu successiuo uel in cognitione successiua consistit: quamuis etiam id negari nequeat, existentiam atque durationem, seposita per abstractionem uitae notione, considerari posse, quod nonnulli contra definitionem Boethii monuerunt; superflua etiam nonnullis haud immerito uidebatur *perfectio* iniecta mentio. 5) *Tota* admodum improprie dicitur uitae diuina possessio, quia nullae in Deo sunt partes, quas etiam addita particula *simul* negat, ita ut totum in eodem sensu hic accipiatur; quo intelligi debet, si *essentia*, etiam rei simplicis, definitur *totum illud, per quod res est, id quod est*. Illud uero *simul* non referendum est ad Mundum et successiones ueras in ipso reperiundas, quasi has tolleret, sed unice in diuina existentia, essentia, attributis, actionibus (in Deo, et nostro concipiendi modo spectatis) negat successionem, negat dari prius et posterius. 6) Atque ipsa haec negatio successionis, prioris et posterioris clavis paucisque uerbis idem exprimit, quod Boethius per ambages aenigmaticas, et Poeticas magis quam philosophicas indicare uoluit: haec uero cum deum existentiam et durationem Dei a duratione Mundi discernet, si negatio initii et finis accedat, de Mundo autem statuatur, initium habuisse et aliquando non fuisse. Haec etiam est sententia PETAVII l. c. p. 137. qui triplicem hanc negationem triplicem dotem aeternitatis appellat, haec est sententia multorum Patrum Ecclesiae, multorumque Scholasticorum, haec etiam est sententia Theologorum Nostratum et Reformatorum, quotquot contra Socinianos et Remonstrantes

strantes

strantes Boethianam aeternitatis definitionem propugnarunt, quantum memini, omnium; ex quo nemini obscurum esse potest, in quantum suam fecerint doctrinam Boethii, in quantum ab ea recesserint.

§. VI. In originem doctrinae Boethianae inquirenti primum sese offerunt PROCLVS et PLOTINVS Platonici Philosophi, tales tamen, qui alia Philosophemata cum Platonice conciliare studebant, atque Eclectici uideri uolebant; Proclum Athenis audiuisse Boethius uidetur Clarissimo BRVCKERO in Hist. Philos. P. IV. p. 1396. Plotinum diuobus et quod excurret Seculis seniore ob scripta ueneratus est, quem grauissimum Philosophum *ab initio libri de diuisione* appellat. Vtrumque non tantum quoad rem, h. e. quoad dogma de mundi sempiternitate, et discrimine aeternitatis diuinae in negatione successione unice quaerendo, sed etiam quoad praecipua uerba adeoque κατὰ πόδα sequitur. PROCLVS lib. II. in Timaeum p. 73. ita scribit: ἄλλο γὰρ τὸ αἰεὶ τὸ χρονικὸν, καὶ ἄλλο τὸ αἰώνιον. τὸ μὲν ἀρξάτως πᾶν ὄν, τὸ δὲ αἰεὶ ὅλην συνεχεία τῆς χρόνου συνεκτεινόμενον, καὶ ἀπειρον. καὶ τὸ μὲν ἐν τῷ νῦν. τὸ δὲ ἐν διαστάσει, τῆς διαστάσεως ἀκαταλήκτου τυγχανύσης, καὶ αἰεὶ γιγνομένης. PETAUUS l. c. pag. 139. ita translatum exhibet: *Aliud est semper temporale, aliud aeternum: hoc simul et confertim est totum; illud uero cum tota perpetuitate temporis extenditur, infinitumque est: atque hoc quidem in eo, quod est nunc, consistit: alterum autem in quodam interuallo, quod nunquam desinit, et semper existit.* PLOTINVS integro libro VII. Enneados III. de aeternitate et tempore περὶ αἰῶνος καὶ χρόνου agit, ex quo, quamuis sic obscurissimus, doctrinae tamen Boethianae, quoad singulas partes atque uoces, origines atque aliquales explicationes depromere licet. Αἰῶνα h. e. aeternitatem rebus primis et beatissimis tribuit τοῖς πρώτοις καὶ μακαροῖς, tempus uero rebus illis, quas γεννητὰ generabilia uocat, Μυυδο, animis adscribit cap. 3. et 12.

Origo doctrinae Boethianae.

D

tem-

tempus ipsi est *ἄπειρον infinitum* cap. 8. *desinere atque intermittere*
nequaquam potest, uti motus. καὶ ἔτι κινήσις μὲν ἂν καὶ παύσις
καὶ διαλείπει, χρόνος δὲ ὄχι. cap. 7. Hac de causa absentiae initii
 et finis nullam facit mentionem in describenda aeternitate,
 quam in primis cap. 2. reperimus ipsi esse *ζωὴν μένυσαν ἐν τῷ αὐτῷ,*
αἰεὶ παρὸν τὸ πᾶν ἔχουσα: ἀλλ' ὅτι νῦν μὲν τὸδε, αὐθις δ' ἕτερον, ἀλλ'
αἶμα πάντα, καὶ ὅτι νῦν μὲν ἕτερον, αὐθις δ' ἕτερον, ἀλλὰ τέλος ἀμερῆς.
Vitam manentem in eodem, quae totam semper praesens habet, non
talem, quae nunc habet hoc, postea aliud, sed quae omnia simul
habet, non talem, quae nunc habeat alia, postea alia, sed quae ha-
bet individuum finem, uti Marsilius Ficinus transtulit, siue
potius, quae habet indivisibilem perfectiorem; sub finem enim
*eiusdem capituli brevius describitur aeternitas *ζωὴ ὁμοῦ πᾶσα,**
καὶ πλήρης ἀδιάσπαστος πανταχῆ. πάντα simul tota (omnis) et plena
(perfecta) et prorsus indistans, et sub finem cap. 3. perfecta entis
essentia vel existentia παντελής ὄσια, et tota, cui nihil desit, et cui
nihil omnino, quod non ens dicatur, possit accidere, cap. 4. αἰδίο
dicitur habens vel possidens vitam ἔχον ζωὴν, et quidem, quod iam
habet totam vel omnem vitam, neque accepit quidquam, neque acci-
pit, neque accepturum est; aeternitatem idem esse cum Deo, et re-
cte dici posse Deum; proxime ad definitionem aeternitatis accessi-
rum esse, qui eam dixerit vitam iam infinitam, eo quod iam tota vel
omnis est, quod nihil amittit, cum nihil praeterierit vel futurum sit,
alias enim non esset tota vel potius omnis πᾶσα. Ad PLATONEM
 ipsum non ascendemus, quoniam ab ipso et in his et in aliis
 doctrinis nimium quantum recesserunt Plotinus atque Pro-
 clus: testimonia autem Platonis a PETAVIO excitata describunt
 aeternitatem unice, negando principium, finem, et successio-
 nem, remouendo *erat, est, et erit, et solum est* ipsi relinquen-
 do: de sempiternitate mundi altum hic est silentium. Eius-
 dem tenoris sunt verba Plutarchi, Numenii ex Eusebio, Parme-
 nidis ex Ammonio, Philonis Iudaei in Petavio reperita. Idem
 est

est

est sentiendum de testimoniis Patrum a Petauio magna copia allegatis. CHALCIDIVS autem Semi-Christianus Philosophus in *Comm. in Timaeum Platonis Segm. XXV. editionis Fabricianae* Boethio in pluribus praeiuit hisce uerbis: *Et temporis quidem proprium progredi, aevi propria mansio, semperque in idem perseueratio: temporis item partes, dies, menses, noctes et anni; aevi partes nullae: temporis item species, praeteritum, praesens, futurum: aevi substantia uniformis in solo perpetuoque praesensi. Mundus igitur intelligibilis semper est: hic simulachrum eius semper fuit, est, et erit.* Conf. Segm. cclxxxii. ubi sententiam Aristotelis, sine genitura et sine interitu mundum esse, diuina prouidentia perpetuitati propagatum, praeclearam uocat et nobilem, et ad Platonici dogmatis considerationem satis accommodatam.

§. VII. De fati definitionis nostrae Boethianae multa Fata defina
Boeth. proferri possent e. g. magno a plerisque applausu fuisse receptam, non ab iis tantum, qui asserta possibili Mundi aeternitate propius ad integrum Boethii dogma accesserunt, sed ab illis etiam, qui soli Deo sempiternam attribuerunt uitam; multum eo contribuisset auctoritatem THOMAE AQUINATIS et IO. DVNS SCOTI, quorum hic in *Quodlibetali Quaestione VI.* ille in *Summa Theol. Part. I. quaest. X. artic. I.* definitionem illam approbavit atque defendit, ita quidem ut Thomas ad superstitionem usque in singulis ferme uerbis mysteria statuerit, atque inter alia terminum *possessionis* uitae ita exposuerit, *quod illud quod possidetur, firmiter et quiete habetur, ad designandam ergo immutabilitatem et indeficientiam aeternitatis usum fuisse Boethium nomine possessionis*, quae expositio mirum quantum placuerit PAVLO VOETIO, ADR. HEEREBORDIO, IO. PAVLO HEBENSTREITIO aliisque, quamuis in se admodum sit incongrua, terminos iuridicos in Metaphysicam transferens, nullum in Boethii uerbis fundamentum habeat, imo eisdem contrarietur, inprimis si origines sententiae Boethianae in

Plotino quaerantur, apud quem ἔχειν τὴν ζωὴν (possidere vitam, ex translatione Ficiniana) et ζωὴ Synonyma sunt, imo Deus ipse uita illa aeterna audit. Possem etiam prolixum Catalogum eorum Philosophorum exhibere, qui definitionem Boethianam non tantum ob uerba obscurissima, sed etiam ob errores, atque defectus, quos contineri in ea existimabant, reiecerint, inter quos GASSENDVS, POIRETVS, CHR. THOMASIVS, CLERICVS praecipui sunt, ut taceam Dissertationes Academicas ZAPFFII Professoris Ienensis de Aeternitate a. 1661. et nuperam Wittenbergensem M. VLRICI *de possibili mundi aeternitate* §. IV. Sed breuitati est studendum. Potiora tamen dubia uel §. V. huius Sect. iam tetigit, uel Limborchius in scrupulis suis repetiit, ad quorum cum solutionibus Cattenburghianis collationem, praemissis praemittendis, iam nunc accedemus.

Difficultates Limborchii,

§. VIII. LIMBORCHIVS, quando doctrinae suae de aeternitate Dei hoc facit initium *Theol. Christ. lib. II. cap. 5. Deum itaque cum aeternum dicimus, nec existendi principium habere, nec finem habiturum, sed semper eundem absque ulla sui uariatione aut mutatione esse ac futurum, affirmamus*, praecipuum fontem soluendi difficultates contra successionis expertem aeternitatem ab ipso postea propositas ipse supeditat, unde simul colligo difficultates illas scrupulos tantum fuisse, non argumenta, quibus ad statuendam omnino successionem in aeternitate Dei fuerit permotus; ita enim immutabilitati diuinae hic adstructae apertissime contradixisset. Cum §. II. format Statum Controuersiae, et non tantum quaerit, *an nulla in aeternitate successio locum habeat*, quod sufficere poterat, sed addit, *an ea sit unicum tantum praesens, an sit fixum quid, et puncti instar*, ambiguitate et allegorico termino statum quaestionis magis intricat quam explicat: siquidem *unicum illud praesens* uel ad Mundum hunc

et Dei cognitionem de rebus mundanis obiectiue confide-
 ratam, uel ad Deum eiusque attributa et operationes in se
 spectata, nostro autem concipiendi modo distincta, referri
 potest; ab allegoriis uero in controuersis Metaphysicis
 omnino abstinendum esset. Quod §. III. negat, adaequatam
 et plenam aeternitatis diuinae ideam in nobis esse, in eo mo-
 destiam Viri doctissimi laudamus et imitamur, fatentes, nos
 magis cognoscere, quid Deus non sit, quam quid sit? quam-
 uis hic quaeratur, quid non sit aeternitas Dei. Difficultas,
 quam successioni in aeternitate §. IV. opponit, *admissa ea uix
 euitari posse, quin primum aliquod in aeternitate momentum agno-
 scere cogamur, quod aeternitatis notioni directe aduersatur, in-
 uincibile est sententiae nostrae argumentum, cuius etiam su-
 pra Sect. I. §. 4. mentionem fecimus, quamuis CATTENBURGHIVS
 in Spicilegio lib. II. cap. IV. §. XIII. sub fin. neget primum mo-
 mentum in successione agnosci debere, cum detur progressus in in-
 finitum, quod miror.* Difficultati §. V. propositae, *si omnem
 ab aeternitate successione remoueamus, aliquid ἀκατάληπτον di-
 ci, siquidem capi non possit, quomodo res aeternum duret, et in il-
 la duratione non sit successio et continuatio ab uno momento in aliud
 per momenta intermedia, ex superioribus obseruationibus op-
 pono 1) etiam in rebus a Deo conditis e. g. anima Adami
 quoad substantiam suam considerata, duratio concipi po-
 test, imo debet, sine successione partium, quas non habet,
 sine successione cogitationum, quae in hac consideratione
 non attenduntur, ita ut anni illi et Secula, quae durasse dici-
 tur, non in anima Adami, sed in motu Solis successione in-
 dicent.* Optime CATTENBURGHIVS l. c. §. 10. inter errores,
 ex quibus scrupulus praecipuus in hoc negotio ortus est, re-
 fert, *quod successio momentorum temporis cum successione parti-
 cularum in rebus confunditur: inprimis enim hic notandum, di-
 stinguendam esse in duratione successione et continuationem,*

cum haec possit concipi absque alteratione, et res esse fixa et stabilis absque successione partium. 2) Momentum illud instans uel praesens, in quo nonnulli poëticae magis quam philosophice tempus uel fugitiui temporis partem collocant, non differt ab existentia rei; praeterita et futura momenta non differunt a praesenti, ne quidem in re creata, si permanens est; haec ergo in substantiis permanentibus quibuscunque nonnisi nomina sunt, nisi ad Solis motum referas, et minuta uel secunda nomines; quid ergo in Deo erunt? 3) contrariatur his immutabilitas Dei ab ipso Limborchio fundamenti loco praemissa.

§. IX. Neque oblitus est Limborchius dogmatis sui de immutabilitate Dei, quare ipsa hac §. V. hanc proponit objectionem: *Dices: omnis duratio successiua est etiam alteratiua, estque solummodo rerum fluxarum, quarum una pars existit post alteram, quarumque omnes partes unico tantum momento praesentes sunt; res uero stabilis, quia semper eadem est, eodemque modo se habet, habet etiam durationem permanentem siue identificam.* In hac objectione reiicerem ego praesentiam omnium partium in unico tantum momento, et unice urgerem durationem permanentem siue identificam, quae etiam in rebus creatis locum habet, per ea quae sub finem antec. §. sunt prolata. Sed dispiciendum nunc est de Limborchii responsione, et Cattenburghii Epicrisi, cui quaedam sunt aduicienda. Limborchius respondet: *Durationem esse distinguendam ab ipsis rebus, quibus duratio attribuitur; neque durationis successionem cum alteratione rei durantis esse confundendam. Res ipsa durans tota simul esse potest, atque immutata in omnem aeternitatem perseuerare. At in illa duratione non esse multiplex nunc, seu multa instantia, ex quibus inter se collatis aliud sit prius, aliud posterius, capi non potest. Non ergo illa uidetur esse inter tempus et aeternitatem differentia, quod tem-*

plur

que solu-
tionis

pus in continuo sit fluxu, aeternitas autem fixa et stabilis duratio sit; sed quod tempus constet momenti finitis, aeternitas infinitis; imo aeternitas reuera aliud nihil uidetur, quam tempus principio et fine carens, omneque tempus finitum exigua tantum portio aeternitatis. Cattenburghius §. IX. existimat, de natura aeternitatis in abstracto consideratae in Theologia non esse tantopere laborandum, et hanc quaestionem potius ad Metaphysicam esse ablegandam, et §. X. primam erroneam originem scrupulorum hanc indicat: quod notio aeternitatis abstracte consideratae non distinguitur a notione aeternitatis tanquam attributi rei uel personae, adeoque passim in hac tractatione idea illa abstracta immiscetur ideae diuinae aeternitatis; laudat tamen §. XIII. distinctionem inter durationem et res, quibus duratio tribuitur. Ergo contra Limborchium atque Cattenburghium disputare, atque monere oportet, nullam omnino abstractionem durationis a re durante, nullum discrimen, ne quidem id, quod rationi tantum adscribitur, inter rem et eius durationem habere locum, quia duratio est continuata existentia, seu permanentia eiusdem existentis, idem uero existens cogitari nequit, nisi simul essentialia uel constitutiua, uno uerbo, characteristici quidpiam de illa re cogitem; alias enim nescirem, an nunc de existentia Dei, mox uero, ubi de continuatione illius existentis sollicitus sum, de existentia hominis uel alterius rei agatur, vid. B. CALOVII operum Elenct. Anti-Socin. Pars. II. p. 48. n. III. Monendum etiam est, abstracta uocabula, quale est duratio, non alias habere posse ideas atque explicationes, quam uocabula concreta, e. g. durans, ubi accuratio philosophica locum habet. Vniuersalis quidem abstractio in idea aeternitatis locum habet, uel quando ex oppositione idea aeternitatis deducitur, uti Sect. I. §. III. factum est, et postea demum disquiritur, an soli Deo, an aliis etiam rebus competat, uel locum haberet si aeter-

aeternitatem et in Deo et in rebus aliis solida ratione deprehendissemus, et postea communem utrisque ideam uniuersalem aeternitatis eliceremus; formalis autem et modalis abstractio (ad quarum alterutram pertineret Limborchiana abstractio) hic, ubi de Dei aeternitate sermo est, omnino est reiicienda.

Catten-
burghii

§. X. Nouus Limborchio scrupulus natus est ex eo, quod, si aeternitas Dei sine successione concipiatur, *Deus non possit dici, qui fuit, et qui erit.* §. VI. qualem tamen ipsa Scriptura S. describit. Plenissime soluit hunc scrupulum Cattenburghius, dum §. X. inter causas difficultatum secundo loco retulit, *quod successio in aeternitate consideretur cum respectu ad Deum, cum tantum quid relatiuum sit, et respectum habens ad res extra Deum,* atque §. XII. hanc instituit applicationem: *Videmus, quomodo Deus dici possit, qui fuit et qui erit, cum illa denominatio non fiat a parte Dei, sed rerum uel momentorum, quae cum praetereant, respectus cessat inter Deum et illa, seu haec externa coexistentia Dei cum illis rebus aut momentis, quae iam non existunt amplius, desinit; et sic ipse Deus describitur in tempore praeterito: Sic e. g. corona, qua ante aliquot Secula Imperatores Germaniae fuere coronati, potest dici corona futura Imperatorum futurorum, cum respectus tantum temporis, non corona mutetur.* Ad exceptionem a Limborchio additam: *Fuisse* significat existentiae desitionem, *futurum esse* essentiae futuram existentiam; ergo neutrum de ente aeterno ac permanente dici potest: sufficebat utriusque negatio, et optime quadrat responsio Cattenburghii ad ipsum Scrupulum modo excerpta. Ea uero, quae Limborchius regerit, *durationem esse externam tantum coniunctionem rei cum momento praesenti, praeteritum non dicere rei desitionem, sed tantum desitionem respectus, siue externae coniunctionis cum momentis, quae iam amplius non existunt; futurum non denotare existentiae futuritio-*

tionem

uem, sed existentiae praesentis coniunctionem futuram cum momentis fluxuris ad durationem illam abstractam pertinent, quam §. antec. reiecimus; in eo tamen partem aliquam ueritatis assecutus est, quod fuisse et futurum esse in respectu ad rem aliquam extra Deum quaesuit: sicut uero rem hanc extra Deum putauit esse durationem infinitam successiuam in abstracto consideratam, ita si loco illius ponamus praesentem Mundum, hominesque in eo uiuentes, plenam planamque habebimus ueritatem.

§. XI. Maximos uero scrupulos exponere uidetur Limborchius §. VII. En uerba ipsius: *Iam hoc momento Deo omnia erunt praesentia, tam quae fuere, quam quae nondum sunt, idque in infinitum usque; quod sane comprehendi nequit.* Notandum hic 1) quaestionem non esse, de diuina praescientia omnium futurorum, Deo aeterna sine successione, quam Limborchius §. VIII. agnoscit. 2) dum successio in aeternitate Dei negatur, unice de iis sermo est, quae ad ipsum Deum pertinent, de existentia eiusdem, attributis, actionibus, quae nostro tantum concipiendi modo in Deo distinguuntur, in his negamus, quidquam, quod aliquando abfuerit, demum accessisse, in quo expresse nobiscum sentit Limborchius; in rebus autem extra Deum collocatis, quae ipsius effectus et opera sunt, in primis in rebus successiuis esse successionem, uel termini docent: relatio uero inter Deum et res extra Deum positas successiuas, neque his permanentiam, neque illi successionem tribuit. Haec principia supra uberius exposita, si applicauerimus ad scrupulos Limborchianos, facili negotio eos omnino soluemus. Obiicit sibi: *Eam esse aeternitatis rationem, quod illa omnibus temporum differentiis tota simul coexistat, et respondet: Sed quis id capere potest, durationem sine et principio carentem totam coexistere minimo temporis spacio?* Sed omnis haec difficultas oritur ex obscura et aenigmatica

E

matica

matica Boethii definitione (quae etiam Cattenburghio displicuit §. XVI.) qua aeternitas Dei dicitur vitae *tota simul* possessio, quas tamen uoculas neque Boethius neque aliquis Theologorum, contra quos disputant Remonstrantes, coniunxerunt in explicanda coexistentia Dei cum rebus a se conditis, sed unice in explicanda existentia Dei aeterna, quatenus opponitur durationi rerum conditarum, et quidem successuarum. Repetenda hic est e §. IV. huius Sect. II. pars obseruationum mearum ad definitionem Boethianam, qua ostendi uoces has *tota simul* nonnisi negantem habere sensum, qui et partes et successionem excludat: hic nulla est difficultas, in sensu negante nulla est contradictio, quae uero est in sensu affirmante non tantum respectu rerum a Deo conditarum, sed etiam respectu Dei ipsius. Si coexistentia Dei cum rebus ab ipso conditis, h. e. Deus et res conditae successuuae relatione et comparatione nostra simul considerantur, tunc utique habemus successionem, quae *tota simul* opponitur, et partes uel proprie uel improprie acceptas, sed in uno tantum correlato, nempe rebus conditis successiuis, non autem in altero correlato h. e. in Deo quaerendas. Notatu hic digna sunt uerba B. FRIDEM. BECHMANNI Theologi in accuratione maxime perspicui, quae habentur in *Theologia Polemica* p. 214. *Sciendum, partes temporis, quibus aeternitas Dei tota simul coexistere a CRELLIO dicitur, dupliciter spectari posse, coniunctim, et diuisim seu seorsim: aeternitas Dei coexistit omnibus temporis partibus tantum posteriori modo e. g. primo diei creationis tota (h. e. indiuisa, sine partibus) coexistit Dei aeternitas, tota coexistit diei, quo Sol ad preces Iosuae stetit Ios. X. tota diei, quo Christus natus est, quatenus hae temporis partes seorsim sumuntur; cum quibus conferri merentur Cattenburghii uerba §. XI. Ita e. gr non coexistit Deus hodie diei crastino, nec inde ullo modo sequitur Deum die crastino*


stino

stino incepturum, ut ipsum diem crastinum, sed tempus illud tantum novum respectum vel relationem rebus adfert ad existentiam Dei, qua illae aeternitati coexistunt. Ex his etiam satis elucescit, quid ad reliquas Limborchii difficultates sit regerendum, quibus 1) ueretur, ne negata aeternitatis diuinae successione, uita nostra ad aeternitatem collata non esset instar breuissimi temporis, sed contra aeternitas collata ad uitam nostram, quia unumquodque uitae nostrae momentum toti aeternitati coexisteret, atque ita aeternitas multis uicibus in uitae nostrae duratione comprehenderetur. 2) argumentatur, ita res praeteritas fore simul et praesentes; praeteritas, quoniam iam factae; praesentes, quoniam aeternitati, quae unicum praesens est, coexistentes. Nimirum confunduntur hic conditio rerum conditarum atque Dei, quae ita, ubi de coexistentia sermo est, inter se comparantur, ut insigne semper maneat discrimen inter durationem Dei et durationem rerum ab ipso conditarum, ut alias distinctiones modo inculcatas non repetam.

§. XII. Similia illa de turri in torrente, arbore in alueo, centro in circulo, axi in sphaera, gnomone in sciaterio, quae singula immota manent, dum torrens et alueus praeterlabuntur, circulus, sphaera ac umbra circumducuntur, sicut omnia eiusmodi similia a rebus corporeis in Metaphysicis petita, lubentissime missa facio; quamuis aliquod comparationis tertium, sed limitibus suis constringendum, ostendi possit. De loco illo 2. Petr. III, 8 *Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies*, repetito ex Psalm. XC, 4. quem et Limborchius et Cattenburghius allegant, paucissimis moneo, dicto hoc neque adstrui neque destrui aeternitatem diuinam successionis expertem; pertinere ad τὰ ὄντα ἁπαντὰ θῶς λεγόμενα; atque Io. CLERICVM in notis ad Nouum Testamentum Hammond ad h. l. ex contextu optime obseruasse: *Petrum in hisce uerbis respicere ad dilationem ultimi iudicii, uerba*

Petrina eo spectare, ne mora plurium fortasse seculorum longa uideatur, neue quisquam propterea exclamet; ubi est promissio aduentus eius? et in Comm. ad Psalm. XC, 4. annotat, mille annorum spatium collatum aeternitati prorsus euanescere, et instar nihili reputari, cum nulla sit finiti cum infinito proportio. Plures ad haec aliaque aliorumque Remonstrantium dubia responsiones dabunt S. R. D. D. ZELTNERI Breuiarium Controuersiarum cum Remonstrantibus Controu. VII. et B. CHRISTOPH. FRANCKII Exercitationes Anti-Limborchianae p. 55. sqq. qui uero, ut durationem Dei aeternam a successionem interna liberet, successionem tamen concedit in duratione Dei, sed tantum respectu externi temporis imaginarii, cui Deus concipiatur coexistere, quod tempus successiuum esse, et ab aeterno dari potuisse fingit: hanc autem fictionem aeque arbitror esse innoxiam ac superfluam.

*Sed hic finis esto huius de infinita Dei duratione Dissertationis. Tu uero, Aeterne Deus, effice aeterni Spiritus Tui gratia, ut mentes nostrae aeternum duraturae, abiecto amore mundi mox perituri, aequo animo toleratis calamitatibus breue tempus duraturis, aeterna unice desiderent, ut aeternum Te uideamus, aeternum Te laudemus, et aeternum a Te amemur, per Dominum nostrum IESUM Christum, qui Tecum et cum Spiritu S. uiuit et regnat in Secula Seculorum.
Amen!*



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN

3 0370482

Philos. D 87

